

Doc. III.

1703. 15. JUNII. VIENNAE.

Resolutio Regia, de Valachis, inter Unam, Colapim et Savum sitis, Jurisdictioni Regni subjiendis.

Nos Leopoldvs Divina Favente Clementia Electus Romanorum Imperator Semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae & Sclavoniae Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Styriae, Carinthiae, & Withenbergae, Superioris Silesiae, Marchio Moraviae, Superioris & Inferioris Lusitiae, Comes Habsburgi, Tyrolis & Goritiae etc. Omnibus & Singulis Valachicae Nationis intra Vvnam, Colapim & Savum constitutis Officialibus militaribus, Knezijs, Caeterisque Gregarijs ac incolis ibidem Commorantibus, hisce benigne notum facimus. Quemadmodum hucusque nihil propensius curavimus, quam ut Valachicae Nationis (quae ob Insignem Christiani sui Zeli impulsus, excusso Turcae servitutis Jugo, saas intra Vvnam, Colapim & Savum, quietae permansionis, novique Patrimonij, a nostra Maestate Caesarea Regiaque ipsis concessas fixerat Sedes) Salutem ac Tranquillitatem, cum omni prosperitatis Civilis incremento promoveremus; Ita Sane nihil indignius experti sumus, nec quidquam maiori cum animi aegritudine intelleximus, quam quod eadem Generosa Natio, sinistris hinc inde pervasionibus in Contrarium acta, Consilij nostri Aulae Bellici decretis publicatis debitum non gesserit morem, Sepositaque Banali & Regni nostri Croatiae Autoritate & Jurisdictione, munia sua militaria eidem concedita obire recusaverit, pluresquo alias inobedientiae ac Turbulentae etiam pervicaciae notas aediderit, imo in nuper demandato abhinc Territorij Novensis, vigore almae pacis ad portam Ottomanicam resignandj, actu cessionario, Alay Begum Bosniae, tanquam ex Parte Portae Ottomanicae constitutum eo fine Commissarium, ejusque cohortes, coniunctjs aliquot armatorum millibus hostiliter prorsus & pacifrage invaserit. His itaque commotj, ad avertendas quasvis ultiores eatenus Confusiones, ac mala, quae in Servitij nostri reique publicae detrimentum ex longiori rerum illis in partibus incertitudine suboriri possent, gratiose resolvimus, & determinavimus, accurateque executum habere volumus: ut Spectabilis & Magnus Consiliarius intimus, Camerarius, Regni nostri Hungariae Judex Curiae, Regnorumque nostrorum Dalmatiae, Croatiae & Sclavoniae Banus, nec non Campi Mareschalli Locumtenens & Fidelis nobis dilectus Adamus Comes de Batthyan, perpetuus in Nemeth Vyvar etc. totum illud, intra Vvnam, Colapim & Savum situm, nostraeque Ditioni, ex almae Pacis mente legitime subiectum Territorium, vna cum Inhabitoribus ejusdem omnibus, cujuscunque Nationis Incolis, protinus nostro nomine in fidem obedientiamque nobis debitam recipiat, & huic actui personali cum praesentia intersit, Simulque Universo Populo Valachicho & Incolis intra praedictos fluviorum Vvnae, Colapis atque Savi limites Constitutis, nostro itidem nomine publicari faciat, dictam mox Valachorum gentem, totamque illam praedefinitam Terrae plagam, ex nunc deinceps, quoad Jurisdictionalia & Civilia quaevis ac Spiritualia immediate Regno nostro Croatiae, quoad militaria vero Consilio nostro Aulae Bellico, & sub ejusdem Dispositione praefato Bano nostro, ejusque subalternis Officialibus perpetuo & Constanter subesse debere, uti & in reliquo, quicquid Terrae extra seu Retro Lineam, actuali Confiniorum Custodiae destinatae, superest, quoad proprietatem & Utilitates Camerales a Camera nostra Aulica dependere, eaque porro de Causa Supremum Capitaneatum Petrinensem, qui Generalatni Varasdinensi hucusque subiectus fuerat, quippe cum Locus ille, promotis vltra per DEI gratiam & Victicia Arma nostra Limitibus, pro fortalio Confiniario amplius haberi nequeat, vna cum Militia ibidem existente, penitus aboleri & abrogari, idque ipsum vbivis, quoad necessum fuerit, declarari atque publicari facere, Cancellariae Aulicae Interioris Austriae nostrae benigne ac serio comitimus, gravique sub Indignatione nostra poenisque rigorosissimis prohibuimus, ne quisquam modernorum Commendantum aut Officialium Varasdinensium, Coprinicensium, S. Georgij, Crisiensium, Ivanicensium, Petrinensium, aut vbivis alibi constitutorum, supramemoratos iam Valachos aut Incolas illos, directe vel indirecte, versus Regni & Bani Dispositiones concitare, vel ab obedientia illis debita avertere, aut alios qualescunque modos, hanc gentem aliorum inducendj suggerere, vilo prorsus sub praetextu audeat vel praesumat; quin potius, vbi vnus aut alter ex prefata Gente ad Confinarios Interioris Austriae nostrae Commendantes quaeribundus refugeret, ijs aut ij, ab iisdem ad djctum nostrum Regni Banum, illiusque Instantiam sine mora remittantur. Vltra quae amplius etiam Supremo Capitaneo Petrinensi Injuximus, si militiam quampiam ex suis Kostanicae stipendiatam adhuc haberet, aut vbicunque alia ejusmodj in praeattacto districtu moraretur, vt illam confestim abinde avocet, postque eductionem nihil prorsus sibi curae aut negotij illis in locis vltra sumat; verum ipsi Petrinenses hactenus Petrinae, & hac in adiacentia